UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 8. In gratitudinem quod Crux medium fuerit eminentißimæ Christi exaltationis, illam ipse Saluator ita exaltauit, vt ipsa sublimius etiam per absolutam Dei potentiam neque at exaltari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

altitudinem: *Qui cum in forma Dei eſſet.* Deus erat, non rapina, ſed natura, atque ex conſequenti, eſſentiam habebat qua nulla præclarior nec eſſe poteſt nec comprehendi. Humiliare ſe voluit & reipſa humiliauit, formamque accepit ſerui: *Formam ſerui accipiens.* An deſcendere poteſt inferius? Poteſt: nam & Angeli ſerui, & non aſſumpſit formam, nec naturam Angeli, ſed inferioris: *In ſimilitudinem hominum factus.* An gradus datur inferior? Datur: *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem.* Videtur hic gradus vltimus: *Cum omnium terribilium terribiliſſima ſit mors.* An aliquid his datur profundius? Omnino: mori etenim abſolute, non eſt ignominia; ſed omnium ſuprema eſt in cruce mori: *Mortem autem Crucis.* Deſcende vlterius: jam non eſt quo deſcendat inferius: ſicut non eſt quo ſuperius aſcendat, quam ad formam Dei, ſic non eſt quo deſcendat inferius quam ad mortem Crucis ignominioſam. Igitur attende: voluit exaltari Chriſtus, regnumque obtinere, & nomen ſuper omne nomen hereditare. Quid agit? manu Crucem hanc apprehendit, illamque extollit: *Eleuabit ſignum in nationibus.* Inter omnes mundi nationes, inter illas ipſas, quæ crucem ſic vt nihil amplius & aſpernabantur, & abominabantur, illā ſic extollit, vt altius non poſſit, ad dignitatē adeo ſublimem, & tantā gloriæ eminentiam vt Deus cum tota ſua eſſentia, habere nequeat, de extremo ad aliud excellentiorem. Quocirca ſic illam exaltat, vt modo fulgeat ſuper Reges eorum coronis inſerta ſplendidior, & ſuper Cæſares de hoſtibus triumphum ducentes illuſtriorem, nec non ſuper Pontifices in apice Thiararum ſuarum, ſuper cœlos, ſuper ſidera, ſuper Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres Angelos omnes, nouemque choros beatorum ſpirituum, ſuper B. Virginem quæ ſibi parem non habet, eamque ita Deus ſibi comparem ſtatuit, redditque illuſtrem, vt eam velit adorari, atque eadem coli reuerentia, & adoratione qua Deus ipſe: illudque fiat non ex gratia quæ Cruci fiat à creaturis, ſed ex eius debito dignitati.

Neminem credo latet quod S. docet Theologia tres eſſe ſpecies adorationis, quibus res ſanctas & ſupremas omnium reueremur: *Duliæ, Hyperduliæ, & Latriæ,* Quæ ex earum naſcuntur eminentia. Res excellentiam habent ex ea quam à Deo participant, atque eo quod illi ſunt vicinæ quia vero illi ſancti ſunt vicini, adorantur: *Adoratione Duliæ,* hoc eſt ſuper omnia naturalia: eorum etenim dignitas omnem illam excedit quam dare poteſt & habere natura. Quia vero inter omnes excellentiſſima eſt Virgo Maria, quia Deo magis vicina, & propter participationem dignitatis cuiuſdam ſupremæ Deoque proximæ nempe quod Mater ſit Dei, quæ in genere parentelæ, omnium ſuprema eſt, & ſicut dicit D. Thom. infinita: honor illi tribuitur & adoratio præclarior, quam ceteris ſanctis, quæ dicitur *Hyperdulia.* Deo autem, Sancto ſanctorum, ſancto per eſſentiam, totius ſanctitatis auctori, atque in ſua eſſentia infinito &c. ſuprema exhibetur adoratio, quam dicimus Latriæ, qua illi vt omnium auctori corpus animamque ſubmittimus. Ad hunc eminentiæ gradum Crucem extulit, vt eodem hoc cultu honoretur, eademque hac adoratione adoretur; in quo Dux hic illuſtriſſimus: *Fecit potentiam in brachio ſuo;* impleuitque illud Ezechielis: *Sicut quia ego Dominus, qui exaltaui lignum humile,* O quam exaltata fulget Crux, illam adorant, reuerentur, eique proſternuntur, homines, Angeli, imo & ipſa Virgo Deipara. Luc. 1. 51. Ezech. 17. 24.

§. 8. *In gratitudinem quod Crux medium fuerit eminentiſſimæ Chriſti exaltationis, illam ipſe Saluator ita exaltauit, vt ipſa ſublimius etiam per abſolutam Dei potentiam nequeat exaltari.*

NOn hoc egit Dominus nulla motus ratione: hæc etenim nobis in ipſo verbo Euangelii: *Exaltauit* indicatur. Eſt Saluator noſter ſiquis alius, à gratitudine commendabilis: ſic vt etiam calicem aquæ cœlorum velit regno compenſare. Et voce præconia promulgauit, quod in compenſationem eius quod quilibet egerit: *Centuplum accipiet in hac vita, & in futuro vitam æternam.* Sicut Petro illam rependit confeſſionem: *Tu es Chriſtus &c.* & Eccleſiæ ſuæ conſtituit caput: & Magdalenæ pariter vnctionem ſoluit, quam idcirco toti mundo reddidit celeberrimam, ita vt nomen eius pari pede cum Euangelio Chriſtique nomine diuulgaretur: *Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium iſtud &c.* quia vel ſemel furcifer ille latro honorem eius defendit, promittit illi locum in regno ſuo digniorem. Quid Crux in gratiam Chriſti fecit? cum eſſet omnium creaturarum abiectiſſima, medium tamen extitit, quo Chriſtus ſuper omnes extolleretur creaturas. Ita teſtatur D. Paulus *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Quid inde hauſit commodi? Philip. 2. 8.

commodi? *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæl ſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, &c.* Medium Crux fuit ad tantam Chriſti exaltationem, & hoc ex Dauide toties repetit Eccleſia vel inuitis Iudæis, qui hanc conati ſunt ſcripturam eradere, vtpote Chriſto magis glorioſam: *Dicite in nationibus quia Dominus regnauit à ligno.* Regnum hoc per lignum obtinuit: lignum hoc principium fuit regni illius & fundamentum. Idcirco vates dixit Euangelicus: *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius.*

Iſa. 22. 22.

Angelus intemeratæ Virgini filij Dei conceptionem annuntiaturus ſic de illo præfatur: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Obtenturus erat & poſſeſſurus Regnum Dauid: ſermo non eſt de temporali, ſed ſpirituali regno nempe S. Eccleſia; regnum hoc eſt, de quo dixit: *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Videamus autem quis illi ad hoc paratus ſit ingreſſum? Crux hæc vocatur clauis regni familiæ Dauid. Claues inſignia ſunt Regiæ poſſeſſionis, & domus traditur ſeu Ciuitas, conſignando eius claues: dum autem Pater Crucem filio conſignat, quid aliud facit, quam claues illi tradere: his etenim ius obtinet & titulum regni huius eminentiſſimi. Vt autem hoc intelligeremus, dixit, quòd clauem hanc ſtatueret ſuper humeros eius: etenim certum eſt quod de materialibus non loquatur clauibus, ſed de Cruce: hæc namque ius Regni tradidit. Eandem ob cauſam idem dixit Propheta, de Chriſto factus eſt: *Principatus ſuper humerum eius.* Quod Tertul. a. D. Ambr. b. & D. Aug. c. eleganter de Cruce interpretantur, quam Propheta nominat Principatum eius, per eam figuram quâ cauſam ſumimus pro effectu: etenim de Cruce pendet Chriſti Principatus, vt D. Petro credimus prædicanti hoc Iudæis myſterium: *Ieſum quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc Principem & Saluatorem exaltauit Deus &c.* Nam congrediuntur: *In ligno & exaltauit Deus*: etenim hoc alterius fuit medium. Si Crux igitur ea fit per quam ita fuit exaltatus, quid eius gratia Chriſtus efficiet? Ea eſt Chriſti conſuetudo, vt plura faciat in eius gratiam qui ſibi ſeruit, quàm ille, qui ſeruit, eius gratiâ fecerat. Chriſto famulata eſt Crux, quo tam inſignẽ obtineret triumphum, honorem & gloriam, qua non poſſet ampliorem. Plus autem pro illa Chriſtus facere non poterat, nec conueniens erat, vt minus faceret,

Luc. 1. 33.

I. Crux clauis eſt regni.

Pſ. 2. 6.

Iſa 9. 6
a Lib. 3. con. Mar.
b Lib. 3. de fide c. 4.
c Ser. 71. de temp.
Act. 5. 31.

II. Quæ ſit gloria Crucis.

quàm illam attollere & exaltare ad tantam honoris & gloriæ dignitatem, vt abſolutâ Dei potentia non poſſet ſublimius exaltari: quandoquidem ipſam ad propriam ſibi extulerit altitudinem in ratione honoris; quænam eſt obſecro celſitudo ad quam per Crucem Chriſtus aſcendit? *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium &c.* Hæc igitur eminentiſſima illi tribuitur altitudo, vt ad Crucis præſentiam *Omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Nullum coram ea caput manet erectum, nullum coopertum, nullum obſtipum: ſed ante illam omnes incuruentur diaboli, omneſque homines inclinentur: Reges, Imperatores, omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & omnes Angeli, Archangeli: *Omne genu cœli, ſoli & inferni*, etiam illius quæ ſibi parem non agnoſcit, & ſuper omnes eſt choros exaltata; Mariæ Virginis Deique matris eminentiſſimæ.

§. 9. *Ad ampliorem Crucis gloriam, tanto illa tempore durabit, quanto glorioſum Dei Regnum; quia ab vtroque Sanctorum gloria dependet & beatitudo.*

HOc aptiùs exponemus ſuppoſito id quod memini in D. Chryſ. me legiſſe, atque certum habeo, Crucem ſcilicet, in qua Chriſtus mortuus eſt, in cœlo ſemper eſſe duraturam. Extra controuerſiam eſt in die iudicij mundum omnino ſubuertendum & delendum [illegible] manſurum ſit nec paruum quid nec magnum [illegible] rum quæ in eo producta notauimus. In [illegible] ſtem habeo D. Pet. *Aduenit dies Domini [illegible] in quo cœli magno impetu tranſient, elementa [illegible] calore ſoluentur: terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* q. d. Fiet totius orbis [illegible] Ceſſabunt cœlorum motus, omnia elementa per ignem purificabuntur, accendentur, & conſumentur quæcumque in illo opera produxerunt elementa, arbores, plantæ, lapides, gemmæ, [illegible] &c. nihil ſupererit præter elementa, homines, cœlos, Angelos, & malos in inferno, & bonos in Paradiſo. Nihilominus decreuit Chriſtus [illegible] Crux ſua ſemper ſalua perſeueret, & pari [illegible] regno Dei tempore permaneat: illo etenim ſenſu verba interpretor Iſaiæ: *Secundum dies ligni erunt dies populi mei.* Æqualiter perdurabunt, quomodo fiet iſtud? ſi Crux corruptibilis [illegible] quomodo in æternum durabit? facile hoc [illegible] Deo, præſertim cum illam eo loco ſtatuet, ad quem nulla poteſt accedere corruptio in cœlo nimirum Empyreo. Nec ab illo longius [illegible]

D. Hie-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN